

Q.K.127,33.

(X 2000379)  
Q. D. B. V.

Wh  
270

Q. D. B. V.  
<sup>Ab</sup>  
**OMNIBUS,**  
<sup>Quotquot</sup>  
**ARNSTADIA NOSTRA**  
*sine suo foveat.*  
**LITERARUM**  
**PATRONIS**  
<sup>Atque</sup>  
**FAVTORIBUS,**

Musis nostris, post habitam de Historiâ Formu-  
mulæ Concordiæ Schwartzburgicâ Oratiun-  
culam, Valedicturum

**WILHELMUM ERNE-**  
**STUM TENTZELIUM,**  
Greussennatem,

Ad d. XXVII. Septembris,

H. L. Q. C.

Benevoli ac Frequentes  
auscultent,


Observanter ac Officiose  
petit


**M. JOH. FRIDERICUS** Greiber/  
Lycéi Arnstad. Rector.

ARNSTADIÆ  
Stanno Meureriano.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA







Six. Thes.



Uod à D E O ter Optimō  
maximo hominum singuli ardē-  
tibus precantur votis : ut sibi in  
pace quietam liceat agere vitam ;  
id ii , qui in Republica vivunt,  
nullo non tempore in memori-  
am sibi revocent. Præcipuè verò  
in Ecclesia Docentes agnoscant,  
quod *Basilius* , Vir ille in cognitio-  
ne rerum sacrarum omnium seculorum facile princeps,  
alicubi ob oculis nobis ponit , ostenditque : *Tam esse opus*  
*Concordiâ Docentibus* , *quam sinistra sit dextra* Effa-  
to videlicet hoc optimus ille Theologus innuere volu-  
it , quam salutaris res sit inter Doctores Ecclesiæ **Concor-  
dia** , & quam horrenda sit **Discordia**. Nec potuit vir ille po-  
litioris doctrinæ deliciis expolitisimius utilitatem **Con-  
cordiæ** nobis evidentius ostendere , quam cùm simile  
trahit à manibus. Ecquis enim ignorat , dextrâ absente,  
sinistram nihil in effectum perducere , & vicissim , si-  
nistrâ absente , dextram quoque non , ut antea , res su-  
as efficere posse ; ita si Doctores Ecclesiæ discordent ,  
doctrina in cordibus hominum propagari non potest.  
Sane , quicquid in omnibus vitæ partibus boni reli-

(o) 2

quum

quum est, id ubi à DEO discesserimus, soli Concordia  
 acceptum referendum est. Hinc est Scholarum, hinc  
 est doctrinæ in ipsis conservatio. Nisi enim in docenda  
 juventute, nisi in eruenda disciplinarum veritate plu-  
 rium Docentium operæ quasi conspirent, nunquam  
 vera salutarisque docendi juventutem ratio, nunquam  
 artium bonarum veritas retinebitur. Ubi autem Do-  
 centium animi inter se conjuncti, idem in erudienda  
 juventute sentiunt, idem spectant, idem volunt, ibi &  
 juventus bene feliciterque educabitur, & liberales disci-  
 plinæ rectè tradentur. Alias Concordia aureæ utilita-  
 tes jam afferre temporis & chartæ angustia non permit-  
 tit. Hæc ex Concordia, præcipue inter Docentes in Ec-  
 clesia si viguerit, profluentia emolumenta, atque ex eo-  
 rundem Discordia promanantia documenta divino quodam  
 afflatu excitatus prævidit AUGUSTUS, AUGU-  
 STUS ille Dux & Septemvir Saxonie, nunquam satis  
 celebratus, qui cura ingenti, impensis maximis, studio  
 & labore indefessio, auro plane Concordia in Ecclesiis  
 Evangelicis constituto tropo, FORMULA CON-  
 CORDIAE, tanto superius seculum affecit beneficio,  
 ut majori quisquam potuerit nemo. Cùm enim inter  
 Theologos Confessioni Augustanæ addictos gliscerent  
 dissidia minime vel pauca vel levia, ita ut ipsum Eccle-  
 sia Evangelicæ corpus in rimas quasi fatiscere videre-  
 tur, atque ita variarum opinionum distinctione con-  
 vulsum dissipatumque fluctaret, ut decor illi suus, &  
 pacata tranquillitas non satis constaret, malo huic re-  
 medium adhibuit efficax atque eximum AUGUSTUS,  
 AUGUSTUS ille Dux atque Elector Saxonie, seculi  
 prioris celeberrimus Josua, pientissimus Hiskias, religio-  
 fissimus Josias, qui publicato Christianæ Concordia  
 libro dissuentes Ecclesias coadunavit, atque id effecit.

ut

ut pristinā pace ac tranquillitate Ecclesiæ repurgatae  
uti-frui possent.

Sicut autem nullo non tempore Illustrissimi COMITES SCHWARZBURGICI Nostri maximè strenuos cultūs divini se præbuerunt Fautores atque Defensores , ceu id testantur non tantum Episcopi & Archiepiscopi ex hac familia oriundi , sed splendidissimi quoque Canonicatus atque Cœnobia , quæ partim & ipsi propriis fundarunt sumtibus . partim etiam summo studio sarta tecta conservarunt ; ita quoque præcipue superiori seculo post exortam in his terris Evangelii lucem zelus pius & cura eos tenuit indefessa , ut religio pura & sincera conservaretur. Hinc Illustrissimi Comites Schvarzburgici , JOH. GÜNTHERUS , WILHELMVS & ALBERTVS antesignani ferè Comitum fuerunt , qui Formulae Concordiae subscripserunt , Eandem librum Symbolicum agnoscentes. Quin & Illustrissimi Comitis, GÜNTHERI , mandato , 2.0 pietatis pleno. omnes & singuli trium præfecturarum , videlicet Arnstadio- Kevernburgicæ , Gehrenensis & Schvarzburgicæ , Ecclesiarum Pastores , Ludorumque Moderatores , ut die undecimo Februarii , qui dies erat Jovis post Dominicam Sexagesimæ anni 1580. in Curia Arnstadiensi comparerent , citati sunt. Post habitam tamen in templo à Leonhardo Eberhardo , Diacono , ex Epistola Dominicali , concionem omnes Dn. M. CHRISTOPHORVM HELMERICVM , Superintendentem , in Aula Arnstadiensis atrium ( die kleine Hoffstube ) secuti sunt , ubi Dn. Cancellarius , M. JOH. BORN ERVS , Pastoribus pro obsequio præstito , quod comparuerint , egit gratias. Inde à Dn. Superintendent. habitæ oratio , & postulatum , ut Pastores deliberaarent , quid sibi faciendum putarent , si & ab iudicis

requireretur subscriptio. Lecta deinde subscriptio Illustriss. Comit. Schvvarzburgicorum , cum Præfatione & Summa Formulae Concordiæ à VALENTINO LENGERO , Sch. Arnt. ConRe&t. & MATTHÆO ZIMMERMANNO , Baculario. Post deliberationem Pastores per M. BONAVENTVRAM ALBRECHT , Pastorem Arnstadt. ad D. MARIÆ responderunt, se quidem nullos dubitare Formulae Concordiæ subscribere; ne v. Calvinianis , pacis Ecclesiastice autores fugillantibus , ulteriore calumniandi dent an-  
sam , ac si re non ponderata ac minimè deliberatæ subscriptiſſent , inde ſe rogarē humiliamē , quod ſibi hoc de negotio deliberandi , librumque integrum ponderandi tempus benevolè concederetur. Quæ responsio ab iis , qui ſuper hoc negotio Illustrissimorum Comitum nomine cum Pastoribus egerunt , approbata fuit. & Pastores post ſumtum prandium dimiſſi ſunt. Postea Pastores præfecturarum , Schwarzburgicæ , & Gehrenenſis. Königſeæ in ædibus Parochialibus convenerunt , librumque Concordiæ expenderunt ; & quoniam contra analogiam fidei non deprehenderunt quicquam , responſionem unanimis adornarunt , literisque , quarum subscriptio hæc erat : Diener der Christlichen Kirchen in beiden Aemtern Schwarzburg und Gehren ; consignatam sub dato die Mercurii post Dominicam Esto Mihi anni 1580. Dn. Superintendenti transmiferunt , quā absque tergiversatione Libro Concordiæ ſe subscripturos polliciti ſunt. Sed de his omnibus & aliis aget prolixius VALEDICTVRVS Noster.

Is est WILHELMUS ERNESTUS  
TENTZELIUS, VIRI MAXIME REVERENDI, Amplissimi atque Excellentissimi  
Dn.

**DN. JACOBI TENTZELII, SS. Theol.**  
**Doctoris famigeratissimi, Comitatūs Schwvarz-**  
**burgico-Arnstadiensis Superintendentis meri-**  
**tissimi, & Consistorii Schwvarzburgici Assesso-**  
**ris Primarii &c. PATRONI NOSTRI SUM-**  
**M I, Filius non degener.** Hic sub sedula & vigili PA-  
**RENTUM cura, pietate, bonisque moribus & literarum**  
**studiis quā publicē, quā privatim diligenter excultus ab in-**  
**fantia fuit. Patiens laborum, nihil non promptissimè aggres-**  
**sus est, quō in majus provehī studia, suumque locupletari a-**  
**nimum vidit. Vice non simplici in Palæstra Oratoria, modò**  
**Germanicè, modò Latinè, jam Græcè, jam Ebraicè, atque**  
**nunc ligato, nunc soluto stylo perorando se stitit, semper in-**  
**dustriæ laudem consecutus. Nec minus industrium in Palæ-**  
**stra Disputatoria privata, Cursuque Philosophico absolven-**  
**do se e exhibuit, jungens & his studiis notitiam aliarum lin-**  
**gvorum Orientalium, & Theologiaz Positivaz fundamenta so-**  
**lida. Cæterum honestatis ac virtutis auditum, PA-**  
**RENTIBUS pium, Praeceptoribus morigerum, omnibus**  
**modestum se probavit usque. Unde, cùm nunc discedere**  
**anobis, & ad Academiam, tanquam ad uberiorem sapien-**  
**tiaz doctrinæque mercaturam, abire jussus sit, non possumus**  
**non DEI gratiam, largissima studiorum incrementa una cum**  
**omni prosperitate eidem sincero apprecari corde. Faxit**  
**supremum, quod cœlum habitat, Numen, ut per MAGNI**  
**PARENTIS, Maternique Avi, WILHELMI, & Proavi,**  
**POLYCARPI, LYSERORUM, Beatorum, vestigia**  
**feliciter incedens, evadat aliquando non minus Clarissima**  
**Familia, quam ipsius Patriæ ornementum!**

De cætero VALE DICTURVS Noster ultimum in  
 hac Schola nostra eruditionis Scholasticæ specimen editurus.  
**Oratione non inconcinna De FORMVLÆ CONCOR-**  
DIA

DIÆ IN COMITATV SCHWARZBURGI-  
CO RECEPTIONE ET PROPAGATIONE  
futuro die Jovis, Deo clementer annuente, dicet, & postea  
etiam carminibus TEVTONICIS, LATINIS,  
GRÆCIS, EBRAICIS, CHALDAICIS AT-  
QVE SYRIACIS omnibus de se bene meritis gratias  
aget.

*Vos verò, quotquot ARNSTADTIANO-  
stram illustratis, ERUDITOS OMNES  
ET SINGULOS ed, quâ par est, obser-  
vantia & humanitate rogo, velitis haud grava-  
tim Vestram Dicturo accommodare operam-  
gratissimum id erit MAXIME REVE-  
RENDO DN. PARENTI, & nos  
redhostimenti loco observantiam, studium, amo-  
rem Cuius pollicemur. P. P. Arnstadiæ Do-  
minicâ à Festo Trinitatis XV. A. R. S.  
cls. Ioc. LXXVII.*



Q.K.127,33.

Q. D.  
OMN  
ARNSTADI  
LITER  
PATR  
ATQVE F

Musis nostris, post ha  
mulæ Concordiæ Se  
culam,

WILHELM  
STUM T

Greut

Ad d. XX

H.  
Benevoli


a  
Observan

M. JOH. FRI

Lycéi

AR

Stanno



Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

## KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black